

LECTORI MONITUM.

Quanta sit *Historia* huic, quam *Miscellam* appellavere, decursu temporum superaddita nunquam melius didicimus, quam cum paranda fuit nova isthæc editio: quinque nos enim *Codices* pergamænos antiquæ notæ in refertissima *Bibliotheca Ambrosiana* servatos ad manus habuimus, omnesque diligenter perlustratos, uno ferme contextu exaratos invenimus, quin immensam illarum seriem è *Græcis* potissimum *Auctoribus* deceptam contineant, quæ in editis ut plurimum occurrit. Ea de causa collationi nostræ vetustiorē selegimus probatissimum *Codicem* à *Doctis. Muratorio* in *Præfatione* ad hanc *Historiam* laudatum, & *Eruditorum* gratiam mire credidimus, integram illius lectionem exhibentes, ut uno ferme ictu oculi lector dignosceret quidquid subsequētib; temporibus *Miscellæ* huic accesserit. Id verò ita ordinavimus, ut quod in nostro *Codice* legitur, antiquo, ut vocant, communi charactere, reliqua *Italico*, vulgo consueo imprimerentur. Si quid autem in editis omisum est, & in nostro legēbatur, id omne adjectis in calce cujuscumque pagellæ *Notis* unâ cum variis *Lectionibus*, ubique inseruimus. Atque ita factum est ut integer *Ambros. Codex* editis sit continuata per notas nostras, & antiquam charactere formam illius lectione. Quoniam verò in altero ex *Codicibus Ambrosianis* reperimus partem eam quæ *Landulpho Sagaci* tribuitur, atque omnino diversam ab impressa observavimus, ideo ad calcem *Historiæ* dare placuit, ne lectores longo notarum numero fatigarentur. Hoc minime silentio prætereundum *Landulphum Sagacem*, vel quemquam alium in hujusmodi additamento nihil aliud egisse, quàm *Pauli Diaconi Historiam* compendiario repetere, illius ut plurimum verbis. Demum ne quid ad complementum deesset, specimen characterum memorati *Codici Ambrosiani ære* incidi curavimus, ut illius antiquitatem facildè quisque dignoscere valeat.

Litteræ initiales, quæ notas antecedunt hoc ordine distributæ sunt, ut *littera A.* *Codicem Ambrosianum* designet, *B.* *Bongarsii Bodryei* varias *Lectiones*. *H.* *Hersfeldense MS.* à *Caniso* editum, cujus præfatiunculam in suas varias *Lectiones* hic describimus.

Varias *Lectiones* in *Miscellam* notavit *Cl. Jacobus Bongarsius Bodryæus* ex *MS. Paulo Diacono*, item ex *MS. Pithœi*, & aliorum. Quas varias *Lectiones* nacti sumus. Et quia etiam *Pauli Diaconi* membranas *MS. Monasterii Hersfeldensis* habui, ideo illas etiam contuli. Ut autem quis videre possit, quid ultimus auctor *Miscellæ* addiderit, ideo notamus in variis *Lectionibus* quomodo differat *Eutropius*, & *Paulus Diaconus*, & nostra *Miscella*: & hoc potissimum quousque finit *Eutropius*. Nam cæteri *Libri Pauli Diaconi* quibus *Eutropium* continuat, ibique sunt obvii. Nam *Paulus Diaconus* primus est, qui *Historiam Miscellam* collegit, & *Eutropium* pœne descripsit, additis subinde quibusdam ex aliis auctoribus, deinde *Landulphus Sagax* auxit.

MS. Hirsfeld. de P. Diacono hæc habet:

Hic Paulus Monachus erat montis Cassini Ordinis S. Benedicti, qui etiam contexuit vitam S. Gregorii Papæ, ut idem dicit in Libro de Longobard. composuit etiam idem hymnum ut queant laxis, & quædam alia non inutilia.